



**R.P. Ioannis De Lvgo Hispalensis, É Societate Iesv, Jn
Collegio Romano Eivsdem Societatis Olim Theologiae
Professoris, nunc S. R. E. Cardinalis, Dispvtaiones
Scholasticae, & Morales, De virtute, & ...**

Lugo, Juan de

Lvgdvni, 1666

Sect. I. An possint omnia peccata per pœnitentiam deleri.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-82358](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-82358)

odium peccati propter penas inferni, vel aliud simile motum; timeri potest, ne proposita obligatione diligendi Deum, incipiat iam imputari ad culpam omissionis dilectionis, quæ prius propter ignorantiam, vel inadvertentiam non imputabatur. Expedit itaque, & oportet exigere, & excitare pœnitentem ad dolorem de peccatis propter Deum, & ad perfectam contritionem, ac dilectionem Dei super omnia, propositis motibus opportunis; non tamen expedit regulariter proponere obligationem, & laqueos inicere, in materia præsertim adeo incerta, ut visum est.

DISPUTATIO VIII.

De efficacia Pœnitentiæ ad tollendum peccatum mortale.

SECTIO I. An possint omnia peccata per pœnitentiam deleri?

SECTIO II. Virum contritio, seu pœnitentia perfecta deleat omnem reatum pœnæ?

Dubium incidens; Virum scilicet reatus pœnæ potest solui ex parte remitti, sic etiam possit reatus culpa?

SECTIO III. Virum contritio sit forma sanctificans formaliter? Sententia affirmans, & eius fundamenta.

SECTIO IV. Vera sententia de efficacia actus contritionis comprobatur.

SECTIO V. Dissolvuntur rationes pro contraria sententia.

SECTIO VI. Dissolvuntur alia obiectiones ex Patre Vasquez.

SECTIO VII. Virum contritio in instanti iustificatio fiat ab habitu caritatis?

SECTIO VIII. Solvuntur aliqua argumenta contra præcedentem doctrinam.



IXIMVS de necessitate Pœnitentiæ, & quomodo possit Deus sine illo actu pœnitentiæ condonare peccatum, nunc sequitur ut dicamus de eius efficacia; an scilicet tanta sit, ut possit delere omnia peccata; item an hoc habeat ex natura, & essentia sua, an solum ex diuina ordinatione.

SECTIO I.

Virum omnia peccata possint per pœnitentiam deleri?

1. **N**ON quærimus modum an pœnitentia etiam perfecta habeat ex se talem virtutem, & efficaciam; de hoc enim postea se. sequentibus dicemus: sed an saltem ex decreto Dei, & attentâ congruitate ipsius pœnitentiæ hoc habeat? Potest autem duplex esse sensus huius questionis valde diuersus. Primus, an sint aliqua peccata ita graui, ut etiam si pœnitentia ponatur, non remittantur. Secundus est, an sint aliqua peccata, quæ per pœnitentiam non possint auferri, eo quod pœnitentia poni non possit ab eiusmodi peccatore.

2. In priori sensu fuit error aliquorum hæreticorum, qui dixerunt, aliqua esse peccata, quæ homini quantumlibet pœnitenti non remittantur. Talia

esse peccata hominis Christiani post Baptismum commissa, dixerunt Cathari, & Catharyzæ apud Epiphanium hæres. 59. & alij apud Suarez disp. 8. sect. 1. n. 1. Alij id dixerunt de peccatis quibusdam grauius, ut apostasia, aut negatione fidei, qui fuit error Nouati. Alij denique dixerunt homini pœnitenti remitti quidem peccata, non tamen sapius, ne facilitas veniæ animum tribuat liberè peccandi: quem fuisse errorem Tertul. probat ex alijs Suarez loco citato n. 2.

Veritas Catholica est, nullum posse esse de facto peccatum, quod per pœnitentiam tolli non possit, si vera ponatur pœnitentia. Ita omnes Theologi cum S. Thoma in præfati quæst. 86. art. 1. & probatur latè à Bellarm. lib. 2. de gratia, & lib. arbit. c. 5. & lib. 2. de pœnitentia cap. 15. Colligitur autem clarè ex scriptura inuitante omnes peccatores in vinetum ad pœnitentiam & promittente vitam æternam. Ezechiel. 19. Nunquid voluntatis mea est? inquit impij, dicit Dominus Deus, & non ut conuertatur a viis suis, & vinat? Ierem. 18. Si pœnitentiam egerit gens illa, agam, & ego. Mai. 5. Derelinquat impius viam suam, & vir iniquus cogitationes suas, & reuertatur ad Dominum, & miserebitur eius. quæ, & similia vniuersalia sunt & intelliguntur non solum de primo peccato, sed de secundo, & tertio: sicut & illa potestas data Apostolis quorum remisistis peccata, remittuntur eis. Vnde in cap. firmiter de summa Trinitate, vniuersaliter statuitur: Et si post susceptionem Baptismi quisquam prolapsus fuerit in peccatum, per eum potest semper pœnitentiam reparari, quod idem supponitur in Trident. sess. 6. c. 14. & c. 16.

Dixi tamen in conclusione, nullum posse esse de facto peccatum, quod per pœnitentiam, si ponatur non possit auferri, quia si non loquamur de peccatis solis, quæ de facto fieri possunt, sed de alijs, quæ in alia rerum serie, & non iuxta has leges diuine prouidentie fieri possunt; non apparet repugnantia in eo, quod aliquod esset peccatum, cui per se essentiam repugnaret per pœnitentiam auferri. Potuisset enim Deus, saltem de potentia absoluta, nolle remittere peccatum homini etiam pœnitenti; & potuisset hoc suum decretum alicui reuelare, ita ut homo obligatus esset ad illud credendum: quo casu, si homo culpabiliter nollet credere illi reuelationi sufficienter propositæ, peccaret graniter contra fidem; & illud quidem peccatum ex suis principiis intrinsicis esset irremissibile per pœnitentiam: nam si posset remitti, posset esse falsa reuelatio Dei de non remittendo illo peccato homini pœnitenti: si enim remitteretur, falsum esset, quod nunquam esset remittendum. Cum ergo essentia liter repugnet poni illud peccatum, & sublepti eius remissionem, statendum est illud peccatum per sua prædicata intrinseca tale esse, ut nulla pœnitentia posita posset auferri: De facto tamen illud peccatum non potest poni, quia Deus de facto non habet tale decretum, sed aliud decretum contrarium, scilicet de remittendo quolibet peccato homini pœnitenti: ergo non potest Deus de facto reuelare illud primum decretum, nec homo potest de facto peccare non credendo talem reuelationem. Posset quidem de facto aliquis ex ignorantia, & conscientia erronea existimare, Deum habere tale decretum, idque reuelasse, & obligare ad id credendum: posset item aliquis ex eadem conscientia erronea existimare, quod id sit prudenter credibile, & adhuc nolle id credere, atque adeo peccare in eiusmodi incredulitate: illud tamen peccatum non esset per pœnitentiā irremissibile, sed posset de facto remitti, quia posset homo agnita veritate, dolere de peccato à se commisso per conscientiam erroneam, &

& tunc obtineret procul dubio eius peccati veniam, Conclusio ergo procedit de facto, & de peccatis, quæ iuxta leges præsentis providentiæ fieri possunt in quibus nullum est, quod non possit per veram penitentiam, si ponatur, auferri.

Contra affectionem in hoc primo sensu explicatam sunt aliqua vulgaria argumenta. Primum ex Scriptura sæpe dicente aliquos peccatores etiam si conuertantur, & clament, non exaudiri à Deo. Psalm. 17. vers. 45. *Clamauerunt, nec erat qui saluos faceret, ad Dominum, nec exaudiuit eos.* Prouerb. 1. *Tunc inuocabunt me, & non exaudiam: mane confurgent, & non inueniet me, eo quod exasum habuerint discipulam, & timorem Domini non susceperint.* Ierem. 14. vers. 1. *Cum inuauerint: non exaudiam preces eorum, & si obtulerint holocausta, & victimas, non suscipiam ea, quoniam gladio, & fame, & peste consumam eos.* Respondeo, in iis & similibus locis, sermonem partim esse de peccatoribus damnatis, quorum penitentia nec suscipitur nec est vera penitentia: partim sermonem esse de pœnis temporalibus, quas Deus aliquando etiam posita penitentia non condonat: denique in vniuersum intelligi possunt de peccatoribus non habentibus veram penitentiam, sed imperfectam, & absque vera detestatione peccati: sic etiam de Anthiocho dicitur 2. Machab. 9. *orabat sceleris Dominum, à quo non erat misericordiam consequutus.* Quo etiam sensu intelligi potest, quod de Esau dixit Paulus ad Hebr. 12. *Cipiens hæc dicitare benedictionem reprobatus est: non enim inuenit locum penitentia, quamquam cum lacrymis inquisisset eam.* Quia nimirum penitentia bona non erat, cum qua stabat animus occidendi fratrem. Potest tamen ille locus non tam de penitentia ipsius Esau intelligi, quam de penitentia Isaac, quem Esau volebat retractare benedictionem Iacobi datam, quam tamen penitentiam, & reuocationem non potuit ab Isaac cum lacrymis etiam, & ciulatu impetrare.

Obicitur secundo ex Paulo ad Hebr. 6. dicente, *Impossibile est, eos, qui semel sunt illuminati, gustauerint etiam donum celeste, & participes facti sunt Spiritus sancti, &c. & prolapsi sunt: rursus renouari ad penitentiam, rursus crucifigentes sibi metipsos, filium Dei, &c. & cap. 10. vers. 26. voluntarie enim peccantibus his post acceptam notitiam veritatis, iam non relinquitur pro peccatis hostia.*

Respondetur solet primo, in vtroque loco sermonem esse, non de quacunque penitentia, sed de renouatione quæ fit per baptismum, qui reiterari non potest, nec iterum mors Christi, sacrificium crucis per baptismum representari: quæ expositio probabilis, licet pro secundo loco non ita facile aptetur. Quare Alij dicunt, in vtroque loco appellari impossibile id, quod est ratum, & difficile iuxta scripturæ phrasim: est autem sermo, non de quolibet peccato, sed de apostasia voluntaria à fide Christiana, & separatione ab Ecclesia fidelium; ac reditu ad Iudaismum vt ex contextu colligitur, quæ etiam est probabilis interpretatio. Addunt alij tertio Paulum in secundo loco loqui aduersus illos, qui volebant simul cum lege Evangelica retinere legem Moysi; & de his dicit, nullam ipsis relinqui hostiam pro peccato; non enim restat illis hostia, quam Christus obtulit, quæ deficientibus à lege Christi nihil prodest: neque etiam restat hostia legis veteris quæ iam est abolita per legem Christi: quæ etiam est probabilis expositio.

Tertio obicitur ex 1. Ioann. cap. 5. vbi dicitur: *qui scit fratrem suum peccare peccatum non ad mortem perat, & dabitur ei vita, peccanti non ad mortem.* Est peccatum ad mortem: non pro illo dico, vt roget

quis, quibus verbis videtur significari impossibilitas obtinendi veniam illius peccati. Interpretes, & Theologi variè explicant hunc locum: noster Cornelius sibi refert duodecim interpretationes, ex quibus ipse colligit vnam magis claram, & expeditam: scilicet, sicut plagæ, aut ægritudines aliæ dicuntur lethales, aliæ non lethales. Nempe illæ, quæ facilem habent curationem, nec communiter afferunt mortem, dicuntur non lethales, & contra verò lethales, communiter afferunt interitum, eo quod vix, aut nunquam curentur: sic peccata mortalia, licet omnia afferant secum carentiam gratiæ, & vitæ spiritualis; aliqua tamen facilem curationem habent, quia nec fidem, nec salutis desiderium extinguunt, quare communi Sacramentorum vñu curantur: alia verò difficillimè curantur, & frequenter afferunt mortem æternam, quia fidem expellunt, quæ est initium salutis, vt apostasia à fide, hæresis, & similia: vel desiderium salutis extinguunt, vt impenitentia, formalis desperatio, propositum perseverandi in peccato per totam vitam, quæ quidem, licet aliquando curentur, dicuntur tamen peccata ad mortem quia communiter non sunt medicabilia: & pro his Apostolus Ioannes, licet non prohibeat orare, non tamen audet consulere, vt cum plena fiducia quilibet pro eis oret; sicut pro aliis: oportet enim magnum deprecatorum adhiberi, vt conuersionem eiusmodi peccatoris possit impetrare: quæ videtur esse magis plana illorum verborum interpretatio.

Quarto obicitur ex Matth. 2. & Marc. 3. vbi dicitur, *Quicumque dixerit verbum contra filium hominis, remittetur ei: qui autem dixerit contra Spiritum sanctum, non remittetur ei neque in hoc seculo, neque in futuro.* Circa hunc locum latè disputant Interpretes sacri, quæ sint hæc peccata contra Spiritum sanctum. Verior sententia, & magis iuxta Textum videtur, quod sint ea peccata quibus Spiritus sancti opera quæ ad nostrum bonum operantur, tribuuntur Spiritui malo, prout tribuebant illi, contra quos loquebatur Christus: vnde Marcus rediens rationem illius sententiæ subiunxit: *quoniam dicebant, spiritum immundum habet.* Dicuntur autem ea peccata irremissibilia; non quia penitenti non remittantur: sed quia difficillimè eiusmodi homo conuertitur ad veram penitentiam. Quæ quidem difficultas non semper fortasse, prouenit ex maiori grauitate illius peccati; quia alia fortasse grauiora peccata fieri possunt contra alia præcepta, sed quia illud peccatum magis directè videtur opponi contra Dei bonitatem, quæ est fons inspirationum, & gratiam, quibus homo ad penitentiam moueri debuisse. Vnde sicut legimus aliquos, qui Christum, & Deum negarunt, & matrem Dei negare noluerunt, facilius obtinuisse spiritum cõpunctionis, ac peccati veniam, quam eos, qui Dei matrem negarunt, quia nimirum non se opposuerunt intercessioni Virginis, quæ remedium afferre solet eiusmodi peccatoribus; licet alioquin grauius peccatum sit negare Christum, quam eius matrem, vt videre est apud Celsarium libro 2. *mirabilis sapientia* 1. & contra verò Christum facilius toleratur blasphemias contra eius Sanctissimam matrem, vt constat etiam ex historia Ordinis Cisterciensium, quæ refertur in speculo magno exemplorum distinct. 3. exemplo 34. sic qui blasphemant contra alia Dei attributa adhuc reseruare sibi videtur illam Dei bonitatem, & misericordiam quæ per appropriationem Spiritui sancto tribuitur, quæ videtur peccatoris causam agere, vt per penitentiam curetur: quia verò blasphemant contra Dei bonitatem, videtur claudere sibi fontem gratiæ, & nullum sibi aduocatum, aut patronum relinquere aduersum Dei iustitiam: conueniunt.

10.
Quarta.
Ex Machab.
Marc.
Mat. 12.
Mat. 3.

grum enim est, ut in quo quisque peccauit, in eo etiam puniatur, & sicut peccans contra Ecclesiam, aut in Ecclesia, non defenditur ab Ecclesia, sic peccans contra Dei bonitatem, ab eadem bonitate non protegatur.

12.
An aliqui
non possint
pœnitere.

Restat nunc agere de secundo sensu questionis, An scilicet sint aliqua peccata, quorum pœnitentiâ homo habere non possit, & ideo quæ non possint per pœnitentiam auferri. Affirmatiuam sententiam docuerunt plures Abulens. Henricus Medina, Catherinus, Rossis, & alij, quos refert Suarez in *præfati diss. octaua sect. 2. n. 1*. Alij cõmuniter negant cum S. Thoma dicto *art. 1* Suarez. *n. 6*. qui alios plures congerit, imò contrariam sententiam, acerbiori censura notant.

Certiores alii
qua pœnitenti-
æ propo-
sitiones.
Primâ.

In hoc puncto aliqua videntur esse debere certa, vel ferè certa, de quibus non sit controuersia; alia magis dubia. Primò itaque certū esse debet omnes reprobos, qui absque debita pœnitentiâ moriuntur, habuisse aliquam impotentiam saltem consequentem ad pœnitentiam: caruisse item auxilio efficaci ad pœnitentiam sine quo, licet haberent potentiam antecedentem, arque ideo habuerint posse simpliciter non tamen potuerunt potentia cõsequenti quidquid illud sit per quod constituitur auxilium efficax in ratione efficaci.

13.
Secundâ.

Secundò videtur certum, non esse statutam legem vniuersalem à Deo, ut quisquis ad talem peccatorum cumulum, vel grauitatem perueniret, careat auxilio sufficienti, vel efficaci ad pœnitentiam. Hæc est potissima mens secundæ sententiæ, & traditur ab Augustino in *Enchiridio c. 103*, ubi probat de nullo statu peccatorum desperandum esse, quia ex omni genere saluantur à Deo; quod inductione cõstat hominū ex diuersis statibus, qui grauissimis feleribus obstricti misericordiam, & pœnitentiæ locum consequuti sunt, idque ad minus probare videntur generales loquutiones Conciliorum, & Patrum, qui dicunt, in hac vita omnes peccatores posse per pœnitentiam reparari, & pœnitentiam esse medicinam vniuersalem pro omnibus peccatoribus: Ideoque omnes esse ad pœnitentiam excitandos, quod verum non esset si non pro omnibus esset à Deo institutum hoc remedium.

14.
Tertiâ.

Tertiò certum videtur, non omnes peccatores habere de facto post peccatum potentiam proximam ad pœnitentiam concipiendam, quod quidem experientia manifestum est, videmus enim multos in ipso actu peccati repentina morte perire, vel etiâ in somno mori, peccatores de peccatis, aut pœnitentia cogitare non poterant, sine qua cogitatione non est potentia proxima & completa ad actum pœnitentiæ, ut constat. Vnde certum etiam videtur, posse Deum, & de facto permittere, & velle in pœnam peccatorum præcedentium negare homini locum, & potentiam proximam pœnitendi, ut constat in iis, quos Deus repentina morte punit propter scelera præcedentia, nec hoc negare potest, aut vult secunda sententia. Vnde consequenter certum etiam videtur, non solum hanc impotentiam proximam prouenire posse ex lethargo, vel morbo superueniente, sed etiâ ex distractione, quia homo de aliis cogitans recordatur pœnitentiæ faciendæ, salutis suæ procurandæ: quam etiam distractionem Deus permittere potest in pœnâ peccati præcedentis: non est enim maior ratio de illa, quàm de morbo, aut lethargo, cum vtrumque impedimentum æquè auferat potentiam proximam & possit æquè prouenire per alias causas absque noua culpa ipsius hominis.

15.
Quartâ.

Quartò certum videtur, quoties peccator cogitat

de sua salute, & de habenda pœnitentia, & vult efficaciter pœnitere, ut redeat in gratiam Dei, posse quidem pœnitere, quia quoties voluntas imperat sibi efficaciter aliquem actum circa obiectum sufficienter sibi propositum, Deus ut auctor nature debet dare concursum saltem naturalem ad illum actum efficiendum, nec potest ille cõcursus absque miraculo negari: quod quidem miraculum Deus nunquam operatur: præsertim cum absque eiusmodi miraculo, & violentia potuisset impedire, ne proponeretur motiua ad volendum pœnitere. Ex hoc autem consequenter fieri videtur, quod in eiusmodi circumstantiis non deest homini concursus ad actum supernaturalem pœnitentiæ si obiectum materiale, & formale proportionatū proponitur sit; posset enim contingere, quod proponeretur obiectum sufficienter ad actum naturalem, & non ad supernaturalem. Si verbi gratia, proponeretur motiua solo lumine nature cognita & non cognita lumine fidei, cuius actus debet præcedere ad actum pœnitentiæ supernaturalem, ut suppono. Cæterum, si motiua proponeretur lumine fidei, non est, cur desit concursus ex parte Dei ad actum pœnitentiæ supernaturalem, tam enim connaturaliter debetur ille concursus supernaturalis posita cognitione supernaturali, & eleuatione hominis ad fidem supernaturalem, quàm debeatur concursus naturalis ad volitionem naturalem posita cognitione naturalis non potest ergo deesse potentia proxima ad actum pœnitentiæ ex defectu solo concursus diuini, si ad sint cetera requisita ex parte cognitionis, & obiecti, & c. in quo sensu videtur loqui August. lib. 2. de peccatorum demeritis c. 17. ubi ait, quod homo non recipiat gratiam adiuuantem, ab ipso prouenire, & non à Deo, cum Deus paratus sit illam dare: & Concilium Senonense decreto de cimo quinto fidei, quod est de libero arbitrio, ubi adductis illis verbis Apocalyp. 5. *Ego sto ad ostium, & pulso*. sic illud testimonium explicat. Neque tanta gratia necessitas libero prauindicat arbitrio, cum illa semper sit in promptu, nec momentum quidem prætereant, in quo Deus non stet ad ostium & pulset: cui si quis aperuerit ianuam, intrabit ad illum & cenabit cum illo.

Quintò certum videtur, nullum esse peccatorem in hac vita, cui, si cogitet de peccatis, & de salute animæ suæ, desit potentia proxima saltem physica ad concipiendum dolorem, & odium peccatorum. Hoc videtur colligi ex proximè dictis, & probari potest à fortiori ex iis, qui sunt iam in termino damnationis, qui quidem, licet non possint demereri eo quod sint iam extra statum viæ, qui est status merendi, & demerendi; possunt tamen peccare, & de facto peccant grauissimè, & transgrediuntur præcepta diuinæ, & naturalis legis: Vnde licet peccant blasphemando contra Deum, quia cognoscunt id esse contra cultum naturali præcepto Deo debitum; sic etiam peccant non retractando peccata à se commissa; cum videant id esse contra naturale præceptum pœnitendi, & satisfaciendi Deo pro offensis illatis. Si autem peccant peccato impœnitentiæ, consequens est, quod possint pœnitere, peccatum enim absque libertate, & potentia ad oppositum esse non potest: habent ergo ad minus potentiam physicam, licet habeant impotentiam moralem propter summam difficultatē. A fortiori ergo illi, qui adhuc viatores sunt, habebunt ad minus potentiam physicam ad pœnitendum in illis enim pœnitentia finalis peccatum est, & agnoscunt obligationem, quam habent satisfaciendi Deo, pro peccatis: alioquin fatendum esset, quod facilius possint agere pœnitentiam in Inferno,

Inferno, non obstante obstinatione, quæ propria est damnatorum, quam possent, dum erant viatores in hac vita: quod videtur manifeste falsum.

18. Obiicit aliquis, dari posse de facto aliquem peccatorem, qui per penitentiam delere non possit sua peccata, eo quod non habeat potentiam etiam physicam, quantumvis de peccatorum turpitudine cogitet. Si, verbi gratia, peccatori alicui iam morti proximo Deus reuelat suam reprobationem, & condemnationem mox futuram, homo ille non possit sperare suam salutem, ut suppono ex materia de spe, atque adeo non possit ferio illam procurare, nec adhibere remedium penitentiam, ergo non habet potentiam etiam physicam ad penitendum de peccatis, licet eorum turpitudinem cogitaret.

Respondetur, licet ille non possit sperare suam salutem quoad in ipso præderet memoria reuelationis de reprobatione: habet tamen potentiam saltem physicam ad penitendum de peccatis: quia certitudo damnationis futura, sicut non necessitat physicam ad peccandum, neque ad non observanda præcepta; sic nec impedit physicam odium peccati præteriti: non ergo careret ille homo potentia physica ad penitendum quidquid sit, an illa reuelatio futura damnationis propria possit de facto dari.

19. Sed contra instabis, ponamus quod in illo articulo cerò sciat, non solum suam reprobationem, sed etiam obstinationem, & impenitentiam usque ad mortem duraturam; & ex hac cognitione prorumpat, non solum in desperationem, quæ quidem non esset peccatum iuxta communem sententiam, sed etiam in odium Dei, qui nollet ei dare auxilium efficax ad penitentiam habendam: quo casu posito, ita esset impossibilis penitentia de illo peccato odij, ut nec potentiam quidem physicam haberet homo ad dolendum de illo: illud enim odium Dei, eo quod nollet dare auxilium efficax ad penitentiam ex sua essentia haberet non posse coniungi cum penitentia subsequenter alioquin non fuisset repelata impenitentia futura, nec fuisset ille actus odij ex tali motivo, sed ex alio: ergo ille actus odij ex sua essentia, vel saltem ex sua individuatione repugnat cum penitentia subsequenter, atque adeo non est potentia physica in homine ad habendam penitentiam de illo peccato odij.

20. Respondetur, adhuc in eo casu, dato quod de facto posset permanere potentiam saltem physicam ad penitendum de illo peccato: quia sicut reuelatio præcedens de peccato futuro non tollit potentiam ad non peccandum, eo quod reuelatio illa non est causa peccati futuri, sed est consequens, atque adeo homo licet non possit coniungere negationem peccati cum illa reuelatione, potest tamen simpliciter non peccare, & hoc pacto impedire, ne fuerit posita reuelatio de peccato futuro: sic etiam in nostro casu odium illud Dei non tollit potentiam physicam ad penitentiam vniuersalem de peccatis: quia licet homo non possit coniungere penitentiam subsequenter cum reuelatione præterita; nec cum illo actu odij Dei, qui habebat tale motum reuelatum, potest tamen simpliciter & absolute dolere de peccatis in vniuersum, & hoc modo impedire ne posita fuerit illa reuelatio impenitentia futura, nec ille actus odij Dei ex tali motivo.

21. Dices, iam tunc illa esset alia penitentia, non enim esset penitentia huius peccati odij Dei, sed aliorum: ad hanc ergo penitentiam de tali peccato non est potentia physica, quia hæc penitentia supponit essentialiter præcessisse tale peccatum. Respondetur, hunc actum penitentia non respicere per suam essentiam, vel per suam individuationem tale pec-

catum præcedens: idem enim actus penitentia quo homo detestatur omnia peccata præterita in vniuersum, esse posset, licet non præcessissent talia peccata; quæ de facto commisit, alia; quia nihil est intrinsecum in hoc actu detestationis, quod esse non posset præcedentibus aliis peccatis. Ex hoc ergo capite non tollitur potentia physica in homine ad dolendum de peccatis, potest enim dolere de illis in confuso, & in vniuersum, quo dolore posset deleret alia peccata; illud autem odium Dei non deleret, sed impediret, ne præcessisset, sicut impediret reuelationem de impenitentia futura.

22. Vergebis adhuc, ergo Dæmones saltem & animæ separate damnatæ, quæ non habent eiusmodi actus confusos, sed cognitionem distinctam suorum peccatorum præcedentium, non habent potentiam physicam ad dolendum, & penitendum de illis; nam illa penitentia deberet terminari distincte ad ea omnia peccata, quorum vnum est odium Dei ex illo motivo, quia scilicet, Deus non vult ipsis dare auxilium efficax ut conuertantur: qui dolor de tali peccato odij in particulari impossibilis est, ut videmus, quia coniungeret duo contradictoria, scilicet dolorem, & penitentiam de peccato cum certitudine non futura penitentia: non ergo habent potentiam physicam ad habendum penitentiam, atque adeo impenitentia in illis non est culpabilis, cum non sit possibilis etiam physicæ actus penitentia, quod videntur esse contra id, quod paulo ante diximus impenitentiam, & obstinationem Dæmonum, & damnatorum esse peccata, sicut blasphemias, & alia, quæ committunt contra reuerentiam Deo debitam.

23. Respondeo, Dæmones adhuc, & animas damnatas posse potentia physica dolere, & penitere, de omnibus peccatis, quia, licet detestatio & dolor distincte terminatus ad omnia, & singula ut præterita, qualem actum alias propter perfectum modum cognoscendi possent habere, in illis esse non possit propter rationem ad ductam: possunt tamen habere alios actus detestationis, & odij peccatorum; qui ex se non supponant necessarium tale odium Dei; possunt enim in primis potentia physica habere amorem naturalem Dei super omnia, & ex eo motivo habere odium efficax eorum omnium, quæ Deo displicent, quæcumque illa sint: qui actus virtualiter saltem, & implicite est retractatio, & detestatio omnium peccatorum. Possunt item potentia physica habere detestationem naturalem, & retractationem formalem generalem omnium peccatorum, qui actus ex natura sua non supponat tale odium Dei præteritum: potest enim Angelus dicere: detestor omnia peccata commissa, quæcumque illa sint, siue hæc, siue illa fuerint: qui actus cum solum feratur sub conditione ad hoc, & illud peccatum, determinatum scilicet, si fuit commissum, non supponit necessarium, quod præcesserit absolute tale odium Dei. Stat ergo etiam in Angelo, & anima damnata quod possumus physica potentia penitere; & quod impenitentia sit in illis mala, & culpabilis, sicut odium Dei, & alia: quæ contra Dei reuerentiam peccant.

24. His ergo constitutis, in quibus omnes videmus debere conuenire; dubium solum remanere potest an de facto aliqui ante mortem ad eum statum reducantur propter præcedentia peccata, ut iam solam potentiam physicam habeant, non verò moralem ad penitendum de peccatis, atque ideo, licet de illis cogitet, & cohortationibus, ac consilijs excitentur, non tamen possint concipere dolorem, & penitentiam ob defectum potentia moralis, quam ob præcedentia peccata Deus illis iustissime abstulit, non quod

22.
An dæmones
et animæ
damnatæ ha-
bent poten-
tiam physicam
ad dolendum
et peniten-
dum de pecca-
tis?

23.

24.
An actus
peccator ali-
quis in hac
vita qui ob
præcedentia
peccata, non
possit amplius
penitere &
dolere de suis
peccatis?

quod sit lex vniuersalis pro omnibus qui ad talem cumulum vel grauitatem peccatorum perueniunt; sed quod Deus pro libito aliquibus, licet nō omnibus, in pœnam grauiſſimorum peccatorum, sicut potest repentinam mortem inferre, sic auferat potentiam illam moralem, & relinquat potentiam physicam pro aliquo tempore ante mortem?

25. Et quidem quod per accidens, seu ex defectu plenæ deliberationis, & attentionis id de facto contingat, videtur etiam concedendum: quia homo mortis proximus paulatim destituitur sensibus, & amittit facultatem deliberaendi, ita ut prius amittat potentiam moralem, quàm physicam; atque adeo per aliquod saltem breue tempus habeat adhuc potentiam aliqualem physicam ad aliquam pœnitentiam concipiendam, quando iam ob defectum virium, & attentionis non habeat potentiam moralem illa tamen pœnitentia esset valde imperfecta, nec sufficiens ad delenda peccata mortalia: quia sicut ad peccatum mortale requiritur quod homo cum plena aduertentia, & deliberatione recedat à Deo; sic ad reconciliationem cum Deo requiritur, quod homo cum plena aduertentia, & deliberatione recedat ad ipsum; quare pœnitentia cum semiplena solum deliberatione cōcepta nō videtur sufficiens ad eam recōciliationem de facto tamen nūquā daretur ille casus, quia quoties supponitur deesse potentia moralis, & relinqui sola potentia physica, certum est, non poni actum, alioquin non fuisset sola potentia physica, sed etiam moralis: nunquam ergo ponitur pœnitentia cum sola potentia physica & absque potentia morali, vnde cumque proueniat defectus ille potentie moralis.

26. Dubium ergo solum esse potest quando adest plena aduertentia, & deliberatio in homine, an priuatur aliquando potentia morali ad pœnitentiā durante hac vita, & relinquatur cum sola potentia physica, quæ sufficit ut impœnitentia imputetur adhuc illi ad culpam actuale. In quo puncto pro parte negante videtur esse cōmunis sententia Theologorum cum sancto Thoma, quos affert Suarez dicta sect. 1. num. 6. qui dum dicunt, hominem in hac vita semper habere gratiam sufficientem preparatam ad pœnitentiam agendam, videntur planè loqui de auxilio dante potestatem non solum physicam, sed etiam moralem; nam illud aliud vix posset vocari auxilium sufficiens simpliciter, & absolute.

27. Sunt etiam pro hac parte grauiſſima fundamenta. Primum ex scriptura, in qua omnes homines generaliter absque exceptione inuitantur ad pœnitentiam, Ierem. 3. *Frons meretricis facta est tibi, noluiſti erubescere: ergo saltem amodo voca me.* Et infra. *Reuertere auerſatrix Israël, dicit Dominus, & nō auerſam faciem meam à vobis, quia sanctus sum ego, dicit Dominus: & non irascear in perpetuum.* Vnde Deus dicitur semper ex se desiderare cōuersionem peccatoris

Ezechiel 18. *Ezech. 17. Nolo mortem peccatoris, sed ut conuertatur.* item: *Nunquid voluntatis meæ est mors impij? Isai. 49. Nūquid obliuisci potest mulier infantem suum, &c. Ad Rom. 2. Ignoras, quia benignitas Dei ad pœnitentiam te adducit? ubi sermo est de peccatore obdurato & obstinato, subdit enim: Tu autem secundum duritiam tuā & impenitens cor, &c. Hac autem inuitatio, & hoc desiderium Dei videtur, fictione aliquale continere, si iis, quos inuitat, potentiam nō daret moralem veniendi, & pœnitendi, sed solum physicam, quæ ferre potentia non est. Denique 1. Petri cap. 1. *Dens patienter agit propter vos, nolens aliquos perire, sed omnes ad pœnitentiam reuerti.**

28. Secundum fundamentum sumitur ex modo loquendi Patrum, qui totum tempus huius vite dicunt esse datum homini ad pœnitentiam agendam

Gregor. lib. 17. moral. cap. 4. *Quisquis (inquit) delinquit, & vivit, idcirco hunc diuina dispensatio in æquitate tolerat ut ab iniquitate compeſcat.* S. Prosper ad obiectiones Vincentianas, responsione 25. *Nemini (ait) Deus correctioni admittit viam, neque quempiam boni possibilitate spoliatur.* Vnde Pharaoni etiam Deum non denegasse gratiam, & auxilia, ut conuerteretur, docet August. lib. de predestinatione & gratia cap. 14. & Origenes lib. 7. in Epistol. ad Rom. super illa cap. 9. *Deus cuius vult miseretur, & quem vult indurat.* Videri etiam possunt de eodem argumento Cyprianus lib. 4. Epistol. 2. Chrysostom. homil. 4 de Lazaro, & in Parænesi de pœnitentia. August. lib. de Pœnitentia medicina. c. 3. Epiphanius hæres. 59. Leo Papa Epistol. 9. & alij.

Terzio, & à priori ratio desumi videtur ex statu viatoris, qui durat per totum tempus vite presentis. Viator enim ille solus dicitur qui tendit, vel tendere potest ad terminum vite: debetur ergo viatori quandiu viator est quod possit ad terminum tendere, qui est beatitudo, ad quam procurandam ordinatur via hominis: non potest ergo homo conservari adhuc in statu viatoris, & negari illi potentia requisita ad consequendum, & procurandum illum finem; quare negatio illius potentie magis constitueret hominem in termino damnationis, & exclusionis à fine beatitudinis, quàm in statu viatoris. Potest quidem intelligi homo adhuc viator, & confirmatus in gratia, ita ut non possit peccare mortaliter, vel saltem non habeat potentiam moralem ad peccandum, adhuc enim est viator, & potest recedere, imò magis facile, & expedite tendit ad consequendam beatitudinem per bona opera, & merita, quæ sunt gressus ordinati ad illum terminum: non potest tamen è cōtra esse viator, & carere potentia moralis, ut tendat ad eundem terminum vite, sed solum ut magis, & magis recedat ab illo per noua peccata.

Confirmatur primò, quia quandiu durat hac vita, durat de facto præceptum sperandi beatitudinem: posset autem homo merito dubitare de hac obligatione sperandi, si dubitaret de possibilitate morali, consequendi beatitudinem: quod enim moraliter est possibile, non potest prudenter sperari, licet sit physicè possibile, vnde nemo de facto sperat vitare omnia peccata venialia, quia scit id esse moraliter impossibile, licet physicè sit possibile.

Confirmatur secundò, quia peccata præterita ex se non obruunt libertatem ad non peccandum in futurum, neque gratia Dei est impotens ex se ad operandum bonum consensum hominis: non est ergo, vnde provenire possit illa impotentia mortalis peccatoris in hac vita. Hæc sunt potissima fundamenta pro hac parte.

In contrarium verò pro parte negatiua sunt etiam non leuia argumenta. Primum ex modo loquendi Sanctorum Patrum, qui in aliquibus peccatoribus videntur agnoscere eiusmodi impotentiam. Iſidorus lib. 2. de summo bono cap. 15. *Nonnulli (inquit) ita deſcipiuntur à Deo, ut non possint multum time plangere, etiam si velint.* Euseb. lib. 8. de demonstratio. ne, cap. 2. dicit, Deum expectare aliquos vsque ad certum terminum peccatorum, & postea illos omnino deferere, quibus loquitur etiam Gregor. lib. 11. moral. cap. 5. dicens, quod licet exterius vocem audiant, interius tamen gratia Dei non tanguntur; cui consentit Bernardin. in sermon. de nimia fallacia huius seculi, & videri potest idem Gregorius libro. 2. moral. cap. 11. & Augustin. de predestinatione & gratia, cap. 14. & in expositione inchoata epistola ad Romanos. proposition. 62. qui eum modum loquendi acceperunt ex scriptura ita loquente de aliquibus peccatoribus induratis. Eccleſ. 17.

Eccles. 7. Considera opera Dei, quia nullus potest corrige quem ipse despexerit. Psal. 8. Dimisit eos secundum desideria cordis eorum, ibunt in adinventionibus suis. Ierem. 6. Erudite Hierusalem; ne forte recedat anima mea a te, & cap. 51. Curavius Babylonem, & non est sanata; derelinquamus eam. Iosue. 11. Domini enim sententia fuerat, ut indurarentur. Ioann. 12. Propterea non poterat credere, quia dixit Isaias: Excave cor, & c. quibus locis aliqua potentia saltem moralis videtur negari.

Secundò accedit ratio: quia magis videtur esse contra statum viatoris, quod nullo modo possit nec physicè, nec moraliter tendere ad terminum viæ; quam quod possit solum physicè, non moraliter: & tamen certum est, aliquos durante hac vita destitui à Deo in penam peccatorum, ut nec physicam potentiam habeant ad conversionem, & penitentiam; quales sunt ij, qui ob sua peccata incidunt in amentiam perpetuam, vel in lethargum usque ad mortem, in quo statu priuantur omni profus potentia ad procurandum, vel consequendum terminum suum: ergo à fortiori non obstat statui viatoris carentia potetia moralis in penam peccatorum præcedentium. Aliunde verò sicut illud prius, sic & hoc posterius genus pœnæ videtur valde opportunum, & aptum ad puniendos aliquos peccatores, & deterrendos alios ne in similem obdurationem incurrant.

Vnde vltimò adduci possunt pro hac parte exempla plura ex grauissimis historiis aliquorum peccatorum, qui ad eruditionem, & correctionem nostram aliquo ante mortem tempore in ea statu relictii sunt, in quo correctio, & penitentia videbatur illis iam esse moraliter impossibilis. Eiusmodi enim incorrigibilitatem agnoscere videtur Gregor. Magnus in quodam Crisostomo, de quo lib. 4. Dialog. cap. 38. refert, quod moriturus vidit Dæmones eius animam ad Inferna rapturos: & subiungit Greg. quia pro nobis ista, nō pro se viderat, ut eius visio nobis proficiat, quos adhuc diuina potentia longanimitè expectat. Cui simile est, quod narrat Petrus Cluniacensis lib. 1. miracul. cap. 25. de quodā criminoso Sacerdote, qui moriturus dixit, se iam indicatum fuisse & æternæ pœnæ damnatum, nec orationem pro ipso amplius prodesse.

Ex quibus satis verisimiliter videtur colligi, non esse contra rationem viatoris, quod careat potetia morali ad conversionem: quod quidem in Angelis videtur omnino concedendum illi enim iuxta veriorum sententiam non habuerunt viam suam ita instantaneam, ut corresponderet vnico indivisibili instanti nostri temporis, sed potius correspondentem alicui morulae diuisibili temporis nostri, quæ morula appellari solet vnum instans Angelicum saltem post peccatum propter vnā solam operationem Angeli, quæ in illa morula fuit: itaque Angelus peccauit per totam illam morulam, & libere perseverauit in peccato actuali, libertate sufficente ad augmentum demeriti actualis; & tamen iuxta veriorum etiam, & communiorum sententiam Angelus propter suam inflexibilitatem naturalem, non poterat potentia morali, sine nouo motiuo, mutare consilium, & reuocare illud decreuit, ac per consequens non poterat potentia morali dolere, & retractare per veram penitentiam peccatum suum, licet adhuc per totam illam morulam esset verè viator, & capax meriti, & demeriti, non est ergo contra statum viatoris, quod non possit penitere potentia morali.

Possit fortasse vtraque pars conciliari, si dicamus hominem viatorē, dum est in hac vita mortali, & vtitur ratione cum plena deliberatione, habere

P. Ioan. de Lugo de Penit.

quidem non solum potentiam physicam, sed etiam moralem saltem mediatam ad penitentiam, & conversionem perfectam: nam licet non semper habeat potentiam proximam moralem ad penitentiam, eo quod propter difficultatem, vel prauam affectum non possit moraliter mutato consilio retractare efficaciter, & detestari peccatum: potest tamen moraliter aliquod aliud præceptum implere, vel orare, vel aliquid aliud facere ad obtinendam compunctionem, quod si faciat, Deus daret vires morales, ut posset proximè concipere etiam penitentiam, & dolorem de peccatis. Hoc autem pacto conciliantur testimonia adducta pro vtrâque parte: nam in primis hoc modo verificatur, hominem quamdiu est in hac vita, posse conuerti, quia potest facere aliquid quod si fecerit, habebit potentiam moralem ad perfectam conversionem, neque enim ad verificandas illas propositiones oportet, quod semper habeat potentiam proximam ad conversionem, & penitentiam: nam ipse Suarez dicta sectione 2. num. 23. fatetur, aliquos homines ita esse dispositos, & prauè affectos, ut cum ordinaria providentia moraliter sit illis difficillimum conuerti. Sicuti ergo dicitur communiter, infidelem posse saluari, quia si facit id quod moraliter facere potest, ut obseruet legem naturalem, quam cognoscit, Deus illuminabit illum, ut habeat etiam notitiam fidei necessariam ad salutem, & ideo saltem mediâtè potest conuerti ad fidem: ita de quolibet peccatore obdurato, quamdiu viuit, dicere possumus, quod dum cogitat de conversione, potest conuerti, quia si facit quantum potest moraliter, Deus dabit illi cogitationes & auxilia, quibus immediatè, & proximè moraliter possit circa ipsam penitentiam, & conversionem id, quod nunc propter obdurationem, & prauam dispositionem est illi moraliter impossibile. Et in hoc sensu verè erit commune illud axioma, Facienti quod in se est, Deus non denegat gratiam: & in eodem sensu verum erit, Deum semper stare ad ostium, & pulsare, scilicet, quamdiu cor hominis vigilat, & attendit ad eiusmodi obiecta: alioquin frustra pulsaret Deus, imò nec potest intelligi, quomodo tunc pulset, cum pulsatio hæc sit excitatio cogitationis circa conversionem, quod in dormiente, vel distracto esse non potest. Pulsat autem Deus aliquando immediatè excitando cogitationem moraliter sufficientem ad cogitationem, aliquando mediâtè, dando cogitationem immediatam ad aliquod aliud bonum, cui si homo consentiat, & faciat quod in se est, & Deus excitabit vehemētius, & sufficienter moraliter ad ipsam conversionem, & penitentiam.

Hoc etiam modo intelligitur, quomodo aliqui ita indurati sint, ut non possint moraliter conuerti, & penitentiam agere: id enim intelligi potest de proxima potentia, quia de facto motiua ad penitentiam debilissimè illis proponuntur, & difficultas penitentiae vehementissimè: sed tamen ad aliquod aliud præceptum obseruandum non proponitur tanta difficultas, quare credere possumus, quod si illud præceptum obseruarent, Deus repræsentaret illis motiua ad penitentiam, & conversionem meliori modo, & magis apto, ita ut moraliter possent conuerti potentia non solum remota, sed proxima, & immediata: de facto tamen non habet illam potentiam moralem proximam, quia circa illam materiam, non faciunt quod moraliter facere possent, & ideo videntur incapaces conversionis, & penitentiae.

Huic infero, eodem modo, & sub eadem distinctione, posse concedi, aliquos carere potentia morali proxima ad penitentiam, & conversionem

K super

37. Quomodo aliqui ita indurati sunt ut moraliter non possint conuerti.

38.

supernaturale, qui tamen habent potentiam remotam ad illam: quia si consentirent motibus, quæ habent ad aliquem actum bonum naturale, & quem moraliter possunt elicere; Deus daret illis motiva proportionata ad actum pœnitentiæ supernaturalem. Sicut etiam infidelibus daret lumen ad amplectendam fidem supernaturalem, si observarent præcepta naturalia, quæ lumine naturali cognoscunt.

39.
Solutio: ut
arguitur.

Denique ex his, facile explicamus fundamenta supra adducta pro utraque sententia. Nam testimonia omnia, quæ probant, posse hominem semper in hac vita converti, possint partim intelligi de potentia vel morali, vel physica, quam non negamus, partim de potentia remota, & mediata, quatenus possunt proximè aliquid facere, quod si fecerint, dabitur illis potentia moralis proxima ad conversionem, & pœnitentiam. Nec est de ratione viatoris, quod pro singulis instantibus, aut partibus viæ habeat potentiam moralem ad pœnitentiam, vel conversionem: satis enim est, quod aliquando illam habeat, ut constat in Angelis, qui non habuerunt eiusmodi potentiam moralem pro singulis partibus morulae, qua duravit eorum via: atque etiam in homine, qui dum dormit, vel habet alia impedimenta, non habet talem potentiam: quod si dixeris, pro tunc esse viatorem formaliter, sed materialiter: idem dici poterit de illo, qui non haberet iam potentiam moralem ad agendam pœnitentiam, illum non esse iam viatorem formaliter, & completè, sed quoad illud esse similem damnatis, licet quoad aliquid aliud possit dici viator & augere demeritum, sicut augebant Angeli peccatores demeritum suum toto tempore illius morulae, antequam essent in termino damnationis. Damus tamè aliquid plus in homine, quod scilicet, dum habet advertentiam plenam ad motiva pœnitentiæ, habeat potentiam etiam moralem, saltem mediatam ad pœnitentiam, ratione cuius dici potest viator formaliter etiam quoad negotium suæ conversionis.

40.

Argumenta etiam, quæ adducta sunt pro secunda sententia, facile solvuntur. Ad primum enim loca illa, & testimonia intelligi possunt partim de carentia auxilij efficacis ad conversionem, partim de impotentia morali proxima, ratione cuius dicuntur aliqui non posse pœnitere, etiam si velint; quod intelligi debet de voluntate inefficaci & velleitate, qua vellent pœnitere, non de voluntate absoluta, hanc enim si haberent, proculdubio pœniterent. Ad secundum fatemur, non repugnare cū statu viatoris illam impotentiam moralem pro aliquo tempore, non tamen sequitur, quod de facto detur. Voluit enim Deus, ut iustificaretur magis eius causa, & vinceret, cū iudicaret, quod homini facienti quod in se est moraliter, non denegetur potestas ad alia. Quamvis autem Angelus derelictus fuerit aliquo tempore absque potestate morali ad pœnitentiam: dum adhuc erat viator: homo tamen qui ex natura sua flexibilis, & mutabilis est, alia ratione gubernandus erat, ut sicut de facto post peccatum pœnitet, quod nullus Angelus fecit, ita semper posset post peccatum pœnitere, quando de obligatione pœnitendi cogitaret. Quando autem non cogitat, non habet potentiam moralem, neque etiam physicam completam; Tunc enim neque peccare potest circa eiusmodi obligationem: quando verò potest moraliter peccare, voluit Deus quod habeat potentiam etiam moralem saltem mediatam ad opus, ut nullo modo Deo etiam apparenter imputetur actualis culpa quasi ex defectu virium, & potestatis ad resistendum lapsus mortalis proveniat. Denique ad tertium, & ad historias adductas

42.

dici potest, illas personas, vel habuisse adhuc potestatem moralem ad aliquid, quod si fecissent, dedisset Deus potestatem etiam moralem ad pœnitentiam, vel certè tunc non peccasse moraliter adhuc ob impotentiam, quia propter summam animi perturbationem, & anxietatem non poterant iam perfectè attendere ad obligationem pœnitendi, imò apprehendebant illud ut sibi possibile: quare licet antea peccassent peccato etiam impœnitentiæ, tunc tamen magis patiebantur pœnā sui peccati Deo ita disponente ad correctionem & instructionem nostram, atque ideo quoad illud iam erant quasi extraviæ, cū ob defectum attentionis, & considerationis non possent amplius in hac vita pœnitere, sicut nec phrenetici, aut qui lethargum patitur, pœnitere amplius possunt.

SECTIO II.

Utrum contritio, seu pœnitentia perfecta deleat omnem reatum pœnæ?

Non est quæstio nunc, an contritio deleat formaliter, an solum dispositivè reatum pœnæ: sed solum, an aliquo modo deleat, ita ut homo iustificatus non maneat debitor vilius pœnæ æternæ, aut temporalis. Unde neque etiam querimus nunc, an reatus pœnæ tollatur de condigno, vel solum de cōgruo per contritionem, sed solum, an de facto tollatur, posita contritione, quomodocumque id fiat. Quoniam verò hæc controuersia tota est cum hæreticis nostri temporis, adversus quos nostri Controuersitæ eam optimè, & late tractant, nos breuiter trademus doctrinam Catholicam, examinantem nonnulla alia, quæ inter Theologos Scholasticos sunt magis controuersa.

Est ergo celebris hæreticorum error, qui, ut pœnitentiæ opera, & carnis afflictiones de medio tollant, dicunt, in homine iustificato simul cum culpa auferri totum reatum pœnæ, atque adeo non esse necessaria alia opera ad soluendum, vel satisfaciendum pro reatu pœnæ, quia iuxta doctrinam Pauli ad Ro. 8. *Nihil damnationis est iis qui sunt in Christo Iesu.*

Aduersus hunc errorem late disputant Doctores Catholici: videntur Cardan. Bellarminus lib. 4. de pœnitentia cap. 4. & seq. Suarez in præfati disp. 10. sect. 3. Valq. q. 64. art. 1. dub. 1. & 2. Catholica veritas concedit quidem, posse aliquando contingere, ut remissa culpa, remittatur simul tota pœnæ, prout fit in baptismo, atque etiam aliquando in sacramentis pœnitentiæ, vel extra illud, quando contritio, vel dispositio tanta est, ut delere possit tatum pœnæ reatum. Concedit etiam semper remissa culpa mortali remitti reatum pœnæ æternæ: addit tamen, non semper extra baptismum vel martyrium remitti simul cum culpa totum reatum pœnæ, sed remanere plerumque aliquam pœnam soluendam, pro qua possit homo per opera satisfactoria solvere, vel aliis per indulgentias vel suffragia, aut aliter se liberare. Et quidem quod reatus pœnæ æternæ simul cum culpa auferatur, traditur expressè in Tridentino sess. 6. c. 14. & constat apertè: quia cū homo iustus habeat gratiam sanctificantem, per quam fit formaliter amicus, & filius adoptivus Dei, eo ipso habet ius ad hæreditatem, & beatitudinem æternam, atque adeo habet ius ad hoc, ut non puniatur in æternum, cū beatitudo nō possit esse simul cum summa miseria damnationis æternæ. An verò possit de potentia absoluta homo iustificari per gratiam, & manere adhuc cum reatu pœnæ æternæ, dicemus postea.

Portò,